felícitas orbi terrarum | réctorem édidit, tres equites Romaní | á plebe[3] et tres líbertini hostias singu|las inmolent et colónís et incolís ad | supplicandum númini eius thús et vínum | dé suo eá die praestent; et VIII k(alendas) Octob.[4] | thus vínum colonís et incolís item prae|stent; k(alendis) quoque Ianuar(iis) thus et vínum | colonís et incolís praestent; VII quoq(ue) | idus Ianuar(ias), quá die primum imperium | orbis terrarum auspicátus est[5], thure | víno supplicent et hostias singul(as) in|molent et colonís incolísque thus ví|num eá die praestent; | et pridie k. Iunias, quod ea die T. Statílio | Tauro M'. Aemilio Lepido cos.[6] iúdicia | plebis decurionibus coniúnxit[7], hostias | singul(as) inmolent et thus et vínum ad | supplicandum númini eius colonís et | incolis praestent. | Exque iís tribus equitibus Roman[*is tribusve*] | líbertinis únu[*s*] .....

In latere: [*Plep*]s Narbonesis a[*ram*] | numinis Augusti de[*di*]cavit ! ! ! ! ! ! ! ! | ! ! ! ! ! ! ! ! ! ! ![8] | ! ! ! ! ! legibus iís q(uae) i(nfra) s(criptae) s(unt)[9].

Numen Caesaris Aug(usti) p(atris) p(atriae)! quando tibi | hodie hanc aram dabo dedicabo|que, hís legibus hísque regioni|bus dabo dedicaboque, quas híc | hodie palam díxero, utí infimum | solum huíusque arae titulo-rum|que est: sí quis tergere órnare | reficere volet, quod beneficií | causa fíat, íus fasque estó; síve | quis hostia sacrum faxit, qui[10] | magmentum nec protollat, id|circo tamen probe factum esto; si | quis huic arae donum dare au|gereque volet, liceto, eademq(ue) | lex eí dono esto, quae arae est; | ceterae leges huic arae titulísq(ue) | caedem sunto, quae sunt arae | Dianae in Aventíno. Hísce legi|bus hísque regionibus, sícuti | díxí, hanc tibi aram pro imp. | Caesare Aug(usto) p(atre) p(atriae) pontifice maxi|mo tribunicia potestate XXXV[11], coníuge líberís genteque eius, | senatu populoque R(omano), colonís | incolísque col(oniae) Iul(iae) Patern(ae) Narb(onis) Mart(ii), qui se numini eíus in per|petuum colendo obligaverunt, | doque dedicoque, uti sies volens | propitium.

Narbone, ara rep. a. 1566 (XII 4333; Huebner ex. scr. ep. 1099). Titulum incisum esse non aetate, quam prae se fert, sed temporibus Antoninorum iudicant periti. Ara dedicata est numini Augusti a plebe Narbonensi, propterea puto quod Augustus decurionibus plebem reconciliaverat (cf. not. 7). — 1) *Consules fuerunt a. 11 p. C., Taurus per integrum annum, Longinus ex kalendis Iuliis.* — 2) *Natalis Augusti.* — 3) *Intelleguntur equites Romani Narbone consistentes non decuriones et propterea plebi adnumerati.* — 4) *Natalis Augusti biduo celebrabàtur, cf. Henzen act. Arv. p. 51.* — 5) *Cf. ad N. 108 not. 12.* — 6) *Consules ordinarii a. 11.* — 7) *Significatur nisi fallor, Augusti opera animos plebis decurionibus reconciliatos esse. Videtur colonia Narbonensis per aliquod tempus discors fuisse, cum plebs isdem porticibus nec tamen isdem animis ac iudiciis (cf. Horat. ep. 1, 1, 71) uteretur ac decuriones, et ea res Augusti aliquo decreto composita esse. Maluerunt autem, re iam composita, de iudiciorum diversitate quam aperte de discordia animisque infensis loqui. Alii acceperunt de iudicandi munere ab Augusto etiam plebeis tributo. (Mommsenus iudiciorum vocabulum ita accipit, ut accipiendum est in inscriptione infra N. 234).* — 8) *Duo versus erasi sunt (paucas litteras legit Hirsch-*

archive.org